

non sequitur de inferno, quippe qui vel creari post mundum destructum potest, vel extra mundum iam olim creari potuit.

*De statu
damnato-
rum.*

§. 29. *Vita* in inferno agenda infelicissima erit. Vulgo poenae in inferno sustinendae in *poenas damni*, quae sunt priuatio visionis beatificae, et *sensus*, quae in doloribus infernalibus consistunt, diuiduntur. Quas equidem conceptu nostro ita diuidi nihil impedit, sed re ipsa alicubi separatim existere, velut in communi et puerorum limbo, qui extra baptismum decedunt, quos priuari tantum visione DEI, nullis vero cruciari doloribus, *Pontificii* contendunt, nullo scripturae fundamento doceri potest. De cetero, vt vita aeterna, ita etiam damnatio aeterna, vel *formaliter* et secundum *essentiam* suam consideratur, vel secundum *totum damnationis statum*, et eius *accidentia*. Haec spectantur vel secundum *corpus*, quod erit deforme et horrendum. Vel secundum *conuersationem*. Damnati enim erunt in societate omnium diabolorum et damnatorum. Vel quoad *locum*, et is erit carcer squalidus, foetidus, tenebri-cosus. Vel quoad *totum compositum*. Erit enim immensis et intolerabilibus cruciatibus et doloribus subiectum. De quibus practici.

§. 30. *Ipsa damnatio* consistit in *obscuracione et corruptione intellectus*, summa quidem, vt vel nihil veritatis seu spiritualis seu naturalis cognoscant, vel quicquid cognoscunt, aut dubita-
tioni-

*De damna-
tionis for-
ma.*